bus sacrificium offertur, non pro pace præsenti, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur. Deinde sequitur perceptio sacramenti, primo percipiente sacerdote, et postmodum aliis dante, quia, ut Dionys. dicit, 3 *cap. Eccles. Hierar.* (non multum procul a fine) : *Ille, qui aliis divina tradit, primo debet ipse particeps esse. Ultimo autem tota Missæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione mysterii (quod significat cantus post communionem), et sacerdote per orationem gratias offerente, sicut et Christus celebrata cœna cum discipulis hymnum dixit, ut dicitur Matth.* 26.

Ad 1 *ergo dicendum, quod consecratio solis verbis Christi conficitur. Alia vero necesse est addere ad præparationem populi sumentis, sicut dictum est* (in corp. initio).

Ad 2, *dicendum, quod, sicut dicitur Joan. ult., multa sunt a Domino facta vel dicta, quæ Evangelistæ non scripserunt. Inter quæ fuit hoc, quod Dominus in cœna oculos levavit in cœlum, quod tamen Ecclesia ex traditione Apostolorum habuit. Rationabile enim videtur, ut, qui in suscitatione Lazari, ut habetur Joan.* 11, *et in oratione, quam pro discipulis fecit, Joan.* 7, *oculos levavit ad Patrem, in hujus sacramenti institutione multo magis hoc fecerit, tanquam in re potiori. Quod autem dicitur : Manducate, et non : Comedite, non differt quantum ad sensum, nec multum refert, quod dicatur in præsenti, cum verba illa non sint de forma, ut supra dictum est* (q. 78, art. 1, ad 1 et 4 arg.). *Quod autem additur, omnes, intelligitur in verbis Evangelii, licet non exprimatur, quia ipse dixerat, Joan.* 6 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

Ad 3, *dicendum, quod Eucharistia est sacramentum totius Ecclesiasticæ unitatis. Et ideo specialiter in hoc sacramento magis, quam in aliis, debet fieri mentio de omnibus, quæ pertinent ad salutem totius Ecclesiæ.*

Ad 4, *dicendum, quod instructio fidei est duplex. Una, quæ fit noviter imbuendis, scilicet, catechumenis, et talis instructio fit per* (alias *circa*) *baptismum. Alia autem est instructio, qua instruitur fidelis populus, qui communicat huic mysterio, et talis instructio fit in hoc sacramento. Et tamen ab hac instructione non repelluntur etiam catechumeni et infideles. Unde dicitur, de Consecratione, dist.* 1 (cap. 64) : *Episcopus nullum prohibeat ingredi in Ecclesiam et audire verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam catechumenorum, in qua, scilicet, continetur instructio fidei.*

Ad 5, *dicendum, quod in hoc sacramento et major devotio requiritur, quam in aliis sacramentis (propter hoc, quod in hoc sacramento totus Christus continetur), et etiam communior, quia in hoc sacramento requiritur devotio totius populi Christi, pro quo sacrificium offertur, et non solum percipientium sacramentum, sicut in aliis sacramentis. Et ideo, ut Cyprian. dicit* (in lib. de Orat. Dom. non multum remote ante finem), *sacerdos præfatione præmissa parat fratrum mentes, dicendo : Sursum corda, ut, dum respondet plebs : Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se, quam Deum, cogitare debere.*

Ad 6, *dicendum, quod in hoc sacramento sicut dictum est* (in solut. ad 3 argum., in isto art.), *tanguntur ea, quæ pertinent ad totam Ecclesiam. Et ideo quædam dicuntur a choro, quæ pertinent ad populum. Quorum quædam chorus totaliter prosequitur, quæ, scilicet, toti populo inspirantur. Quædam vero populus prosequitur, sacerdote inchoante, qui personam Dei gerit, in signum, quod talia pervenerunt ad populum ex revelatione divina, sicut fides et gloria cœlestis. Et ideo sacerdos inchoat symbolum fidei, et Gloria in excelsis Deo. Quædam vero dicuntur per ministros, sicut doctrina veteris et novi Testamenti, in signum, quod per ministros a Deo missos est doctrina hæc populis annunciata. Quædam vero sacerdos solus prosequitur, quæ scilicet, ad proprium officium sacerdotis pertinent, ut scilicet, dona et preces offerat pro populo, sicut dicitur, Hebr.* 5. *In his tamen quædam dicit publice, scilicet, quæ pertinent, et ad sacerdotem, et ad populum, sicut sunt orationes communes; quædam vero pertinent ad solum sacerdotem, sicut oblatio et consecratio, et ideo, quæ circa hæc sunt dicenda, occulte a sacerdote dicuntur. In utriusque tamen excitat attentionem populi, dicendo : Dominus vobiscum, et expectat assensum dicentium : Amen. Et ideo etiam in his, quæ secrete dicuntur, publice præmittit : Dominus vobiscum, et subjungit : Per omnia sæcula sæculorum. Vel secrete aliqua sacerdos dicit, in signum, quod circa Christi passionem, discipuli non nisi occulte confitebantur Christum.*

Ad 7, *dicendum, quod efficacia verborum sacramentalium impediri potest per intentionem sacerdotis. Nec tamen est inconveniens, quod a Deo petamus, id, quod certissime scimus ipsum facturum, sicut Christus, Joan.* 17, *petit suam clarificationem. Non tamen videtur ibi sacerdos orare, ut consecratio impleatur, sed ut nobis fiat fructuosa. Unde signanter dicit : Ut nobis corpus et sanguis fiat. Et hoc significant verba, quæ præmittit, dicens : Hanc oblationem facere digneris benedictam, secundum Augustinum, id est, per quam benedicamur, scilicet, per gratiam; adscriptam, id est, per quam in cœlo adscribamur; ratam, id est, per quam in visceribus Christi trajiciamur; rationabilem, id est, per quam a bestiali sensu exuamur; acceptabilem, ut, qui nobis ipsis displicemus, per hanc acceptabiles ejus unico Filio simus* (de Consecrat., dist. 2, c. 72).

Ad 8, *dicendum, quod licet hoc sacramentum ex se ipso præferatur omnibus antiquis sacrificiis, tamen sacrificia antiquorum fuerunt Deo acceptissima ex eorum devotione. Petit ergo sacerdos, ut sic hoc sacrificium acceptetur a Deo ex devotione offerentium, sicut illa accepta fuerunt Deo.*

Ad 9, *dicendum, quod sacerdos non petit, neque quod species sacramentales deferantur in cœlum, neque corpus Christi verum, quod ibi esse non desinit, sed petit pro hoc corpore mystico (quod, scilicet, in hoc sacramento significatur), ut, scilicet, orationes sacerdotis et populi Angelus assistens divinis mysteriis repræsentet, secundum illud Apoc.* 8 : *Ascendit fumus incensorum de oblationibus Sanctorum de manu Angeli. Sublime autem altare Dei dicitur, vel ipsa Ecclesia triumphans, in quam transferri petimus; vel ipse Deus, cujus participationem petimus; de hoc enim altari dicitur Exodi* 20 : *Non ascendes ad altare meum per gradus, id est, in Trinitate gradus non facies. Vel per Angelum intelligitur ipse Christus, qui est magni consilii Angelus, qui corpus suum mysticum Deo Patri conjungit et Ecclesiæ triumphanti. Et propter hoc etiam Missa nominatur, quia per Angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem, vel quia Christus est hostia nobis missa a Deo. Unde et in fine Missæ diaconus in festivis diebus populum licentiat, dicens : Ite Missa est, scilicet, hostia ad Deum per Angelum, ut scilicet sit Deo accepta.*

DISPUTATIO LXXXIII.

DE RITIBUS MISSÆ, QUÆ IN VERBIS CONSISTUNT.

Hæretici canonem Missæ damnant. — Hactenus diximus de his, quæ Missam antecedunt, seu illi extrinsecus adjacent, aut ad illam præparant ; nunc dicendum sequitur de his, quæ in ipsa Missa fiunt, quæ possunt in verba et facta distingui, prout a D. Thom. in hoc et in art. sequent. distinguuntur. Verba appellantur orationes omnes, quas sacerdos inter sacrificandum profert, vel publice, vel secrete; item lectiones, benedictiones, et similia ; facta vero appellamus, genuflexiones, manuum elevationes, et alia signa vel gestus, de quibus dicemus disputatione sequente; hic enim solum dicendum est de his, quæ in Missa recitantur.

SECTIO I.

Utrum conveniens fuerit, præter verba consecrationis, aliqua alia adjungi, quæ in Missæ sacrificio dicerentur.

1. Hæretici, qui alias cæremonias rejiciunt, multo magis has, quæ in variis orationibus ac deprecationibus consistunt, et præsertim damnant canonem Missæ, quem erroribus refertum esse dicunt. Unde ipsi existimant, nihil addendum esse his, quæ Christus in cœna fecit, et ita ipsi celebrare dicuntur cœnam Dominicam, legendo solum historiam Evangelicam de illa cœna; et panem aut vinum consecrando, distribuendo ac sumendo; specialiter etiam invehuntur in quosdam peculiares ritus, quos Ecclesia servat in his, quæ in Missa dicuntur, scilicet, quod non utitur lingua vulgari, quod non omnia alte proferuntur, sed quædam submisse, et similia, quæ postea dicemus.

2. *Prima conclusio de fide certa.* — *Sacrificium Eucharisticum est sacrificium laudis et gratiarum actionis.* — *Pauli testimonium expenditur,* 1 *ad Timoth.* 2. — *Cassiani expositio rejicitur.* — Principio vero statuendum est, sancte et religiose potuisse Ecclesiam in celebratione hujus sacrificii præter verba, quæ sunt de substantia illius, adjungere quædam alia, partim antecedentia, partim subsequentia, quæ vel ad Dei laudes et gratiarum actiones, vel ad populum instruendum in fide, vel ad devotionem excitandam, vel ejus petitiones, et vota Deo præsentanda, pertineant. Hæc est veritas certa de fide, quæ satis probatur traditione et usu Ecclesiæ. Potest autem imprimis in hunc modum ratione declarari; nam, si in hujusmodi verbis omnibus, quæ huic sacrificio adjunguntur, nihil est superstitiosum, id est, vel falsitatem continens, vel aliquid indecens divinam ma-

jestatem et reverentiam, usus talium verborum per se consideratus religiosus est et sanctus; quod autem hæc verba conjungantur cum actuali et substantiali oblatione sacrificii Eucharistici, ita ut totum id fiat per modum unius moralis actionis sacræ, nihil etiam habet indecens, aut indecorum; ergo optime potuit Ecclesia hujusmodi ritum instituere. Consequentia certa est ex principio supra posito, et significato a Paulo, 1 ad Cor. 11, dicente : *Cætera autem, cum venero, disponam*, et declarato a Conc. Trid., sess. 21, cap. 2, scilicet, dedisse Christum Ecclesiæ potestatem, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, vel ipsorum venerationi magis expedire judicaret. Quamvis enim Concilium de sacramentis loquatur, sub illis sacrificium comprehendit, ut in superioribus dictum est, tum quia eadem est omnium ratio; tum etiam quia unum ex sacramentis ipsa actione sacrificandi conficitur, et ideo idem Concilium, sess. 22, cap. 4, 6, et a canone 5, usque ad 9, definit, recte fecisse Ecclesiam hunc ritum instituendo; supponit ergo Ecclesiæ datam esse hanc potestatem. Et confirmatur ex ipso usu : quanquam enim quidam vocent hanc divinam institutionem, non est tamen existimandum, Christum immediate per seipsum ita hæc instituisse, sicuti substantiam sacrificii; constat enim id esse falsum, ex dictis supra, disp 74, sect. 3, et quæ ibi citavimus; sed intelligendum est, hanc institutionem manasse a Christo mediate, quatenus ipse dedit potestatem Apostolis eam faciendi, et tortasse, quia etiam dedit præceptum generale ordinandi ea, quæ ad convenientem usum hujus mysterii expedirent, quamvis modum et determinationem eorum eis reliquerit. Vel denique, quia credendum est, ipsummet Christum per Spiritum Sanctum Apostolis, et Ecclesiæ inspirasse ea, quæ ad hunc ritum pertinent, ut videbimus. Major propositio, prout in hoc discursu sumpta est, cum tantum sit conditionalis, per se nota ex terminis est, suppositis aliis principiis fidei; nam Deo gratias agere pro beneficiis acceptis, ex objecto religiosum et sanctum est, et similiter orare Deum, instituere populum in rebus fidei, et similia; ergo si in his rebus seu verbis nihil falsum, vel superstitiosum miscetur, ex se honestus et sanctus erit eorum usus; igitur solum superest, ut videamus, an in hoc ritu Ecclesiæ, hujusmodi conditio servetur, quod statim præstabimus. Prius enim oportet alteram propositionem assumptam declarare et confirmare, nimirum, si aliunde nihil est irreligiosum in hujusmodi verborum ritu, neque etiam reprehendi posse ex eo solum, quod cum substantia Eucharistici sacrificii conjungatur, et ad hoc ordinetur, ut illud sacrificium cum major decentia et reverentia Dei, nostraque majori utilitate fiat. Nam primo unde potest in hoc malitia ostendi? nam ex sola natura rei hoc nullam habet inordinationem, cum totus ille ritus religiosus esse supponatur, et consequenter maximam convenientiam habeat cum hoc sacrificio; est enim hoc sacrificium laudis, et gratiarum actionis, et ipsum per se est maximum Dei beneficium; optime ergo cum illo conjungitur gratiarum actio. Est item sacrificium impetratorium, et de se potens ad præstandam nostris petitionibus efficaciam; optime ergo cum illo conjunguntur petitiones et orationes, non solum pro offerentibus, sed etiam pro aliis, tam vivis, quam defunctis, quia omnibus hoc sacrificium prodesse potest. Est denique sacrificium hoc mysterium fidei, novique testamenti confirmatio, et ideo aptissime cum illo conjungitur instructio Christiani populi, circa res fidei, seu ejusdem fidei professio; in his ergo ex natura rei nulla est inordinatio. Neque enim ex speciali prohibitione, vel divina, vel Ecclesiastica; nulla enim talis ostendi potest, neque scripta, neque tradita, neque fuisset Ecclesiæ conveniens; quid enim utilitatis in ea potest excogitari? Unde e contrario possumus positive argumentari, quia hujusmodi ritus orandi, etc., in hoc sacrificio, inspirante Spiritu Sancto, ab ipsis Apostolis inchoatus est, et postea a Pontificibus, et Conciliis auctus et confirmatus; est ergo sanctus et religiosus. Antecedens patet primo ex illo Pauli, 1 ad Timoth. 2 : *Obsecro primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes et gratiarum actiones pro omnibus hominibus*, etc. Circa quem locum primo est observandum, dupliciter posse exponi : primo, ut illa quatuor verba, et præsertim tria priora, tanquam synonyma accipiantur, ita ut illa repetitio solum facta sit ad exaggerationem, et vehementiam orationis, ut Theod. ibi significavit, et sumi potest ex similibus verbis Pauli ad Philippenses 4 : *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum;* et ad Ephes. 6 : *Per omnem orationem et obsecrationem orantes;* quæ expositio

probabilis est. Nihilominus tamen est secunda expositio, sicut illæ voces, tam Latinæ quam Græcæ, diversæ sunt, ita et per illas aliquid diversum significari, quod varie ab auctoribus exponitur; quidam aiunt, obsecrationem esse, quando petimus liberari a malis; orationem, cum aliquid Deo vovemus; postulationem vero, cum pro aliis petimus; ita Cassian., coll. 9, cap. 11, 12 et 13. Sed hoc non placet D. Thom., neque habet fundamentum, ut ex dicendis patebit. Alii obsecrationem exponunt etiam esse supplicationem, quæ fit, ut liberemur a malis; nam vox Græca δέησις hoc proprie significat; orationem vero esse bonorum petitionem, Græce προσευχή, postulationes vero esse interpellationem, seu querimoniam, qua apud Deum conquerimur de his, qui nos injuria afficiunt, vel ad malum impellunt; nam vox Græca, ἔντευξις, hoc etiam proprie significat. Ita fere Chrysost., Theoph., OEcum., Theod. Aliter D. Thom., 2. 2, quæst. 83, art. 17, hæc quatuor distinguit; nam per orationem dicit significari, elevationem mentis in Deum, quæ ad petitionem necessaria est; per postulationes vero, petitionem cujuscumque rei seu beneficii, prout nomen ipsum sonat; obsecrationem vero esse orationem aliquam, quam Deo proponimus, ad obtinendum ab illo aliquid, ut cum Ecclesia orat : *Per nativitatem tuam*, etc.; gratiarum actio per se nota satis est; ait vero D. Thom. adjungi petitioni, ut rationem ex parte nostra ad obtinendum a Deo aliquod beneficium; et hæc accommodat D. Thom. ad quatuor Missæ partes, cum Glossa ordinaria, 1 ad Timoth. 2. Sed illa Glossa plane loquitur juxta mentem Aug., qui epist. 59 ad Paulin., illa quatuor accommodat ad quatuor Missæ partes, ut videbimus; tamen, quid illa significent, obscurissime exponit; videtur tamen per obsecrationem intelligere petitiones, quæ absque ulla oblatione fiunt; per orationes vero petitiones, quæ fiunt cum aliquo voto seu oblatione, juxta vim Græcæ vocis; nam, εὐχή, votum significat; unde, προσευχή, id est, oratio, quæ ad votum, seu cum voto vel oblatione fit; postulationes autem seu interpellationes non exponit August. quid sint, sed solum ait : *Tunc fiunt, cum populus a sacerdote benedicitur. Tunc enim antistites velut advocati susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati;* indicare ergo videtur, interpellationem esse, quando post petitionem factam, ad aliquod votum Deo oblatum ad petitionem obtinendam, vehementius orationi insistitur, et familiarius cum Deo agitur ad impetrandum quod postulatum est. Sunt præter has aliæ horum verborum interpretationes, sed ad rem præsentem hæ sufficiunt.

3. *Secundo observandum.* — Secundo observandum est, hæc omnia, quæ Paulus eo loco fideles obsecrat, optime posse ad singulorum privatas orationes accommodari; omnibus enim incumbit, pro omnibus orare, pro regibus, principibus et universo mundo, quod facere unusquisque potest, et simpliciter orando seu petendo, et orationes aliquas interponendo, vel vota offerendo, vel orationi vehementius instando, vel gratias agendo, ut, quod postulat, consequatur. Alio tamen modo possunt illa verba referri ad publicas orationes, eas præsertim, quæ nomine totius Ecclesiæ fiunt, dum Missæ sacrificium offertur, et hoc modo intellectus hic locus maxime confert ad rem, de qua agimus, confirmandam; ex illo enim habemus ritum saltem in communi, et quoad has orationis partes, esse a temporibus Apostolorum inchoatum. Est autem hic sensus consentaneus Paulo, qui non singulis loquitur, sed simpliciter obsecrat Timoth. tanquam Episcopum et Ecclesiæ pastorem, ut in ejus Ecclesia illa omnia fiant, scilicet, in quotidiano sacrificio, et communi oratione, atque ita interpretantur hunc locum sancti Patres. Chrysost., hom. 6, inquit : *Quasi communis quidam totius orbis pater sacerdos est; dignum igitur est, ut omnium curam agat, omnibusque provideat, sicut et Deus cujus ministerio servit, et fungitur vice; idcirco ait : Obsecratio igitur*, etc.; et infra dicit, hoc esse faciendum in obsequio quotidiano perpetuoque divino religionis ritu; et inferius hoc apertius declarans, dicit, ex eo loco colligi, sacramentorum tempore etiam pro gentilibus oportere offerre seu orare, quia reges tunc gentiles adhuc erant. Quam expositionem sequuntur Theoph., OEcumen., et alii Græci, et insinuatur a Prospero, lib. 1 de Vocat. Gent., cap. 4, qui hunc locum exponunt de communi Ecclesiæ oratione; et idem significat Ambros., lib. 6 de Sacram., cap. ult.; et Tertullian., in lib. ad Scap., cap. 2, dum alludens ad hunc locum, dicit : *Sacrificamus pro salute imperatoris.* Latius et distinctius Aug., dicta epist. 59, ubi quatuor illa, quæ Paulus numerat, quatuor partibus Missæ accommodat, et obsecrationes fieri dicit in celebratione sacramentorum, antequam

illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici; orationes, cum benedicitur et sanctificatur, et ad distribuendum comminuitur, quia, scilicet, tunc fit oblatio; *quam partem* (ait) *fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit;* unde in reliqua parte, usque ad consumptionem sacramenti sentit, fieri postulationes seu interpellationes. Unde subjungit : *Quibus peractis, et participato sacramento gratiarum actio cuncta concludit.* Quæ distributio est probabilis, et placet D. Thomæ loco supra citato. Fortasse tamen non minus probabiliter dici potest, illa omnia fieri in mysterio Missæ promiscue, nunc petendo, nunc obsecrando, nunc iterum atque iterum gratias agendo; nam ante consecrationem etiam reperimus non tantum obsecrationes, sed etiam petitiones varias in collectis, et laudes Dei in introitu et aliis versiculis, et præsertim in illo hymno Ecclesiastico *Gloria in excelsis,* et in præfatione. Videtur enim Ecclesia in hoc imitata divinum Spiritum, quo ipsa regitur; solet enim Spiritus Sanctus hominem orantem, et aliquanto tempore cum Deo colloquentem et familiarius agentem, nunc ad suorum peccatorum confessionem, nunc ad divinas laudes, nunc ad aliquid petendum, vel obsecrandum movere; postea vero ad gratiarum actionem redire, et iterum ad peccatorum contritionem, prout ipse vult, et inspirat. Ita ergo in hoc sacro mysterio Ecclesia fecisse videtur, et ex illa varietate gratissimum Missæ officium composuisse. Utcumque vero exponamus, constat ex Paulo, adjunctis Sanctorum expositionibus, hunc morem conjungendi hunc ritum orandi cum substantia sacrificii, esse antiquissimum et probatissimum in Ecclesia. Id quod etiam constat ex Liturgiis Græcis et Latinis, quæ partim tom. 4 Bibliothecæ Sanct. referuntur, latius vero Pamel. congessit; præsertim vero ex liturgiis Jacobi, Basili et Chrysostomi, quorum testimonio utitur VI Synodus. Item constat antiquitas hujus ritus ex Dionysio, cap. 3 de Ecclesiastica Hierarc.; Clement., lib. 2 Const. Apost., cap. 54, et lib. 8, cap. 5; Justino, Apolog. 2 pro Christian.; Cyrillo Hierosol. Catech. 5 mystag.; Tertul., toto lib. de Orat.; Chrysost., hom. 18 in 2 ad Cor.; Ambros., 4 de Sacram., cap. 11, et ex aliis, quos statim commemorabimus, aliquid in particulari dicendo de singulis partibus hujus ritus; neque contra hanc veritatem, ita generatim sumptam, aliquid video ab hæreticis objici, quod nostra responsione dignum sit.

4. *Secunda conclusio.* — Dico secundo : in toto verborum, seu deprecationem ritu, quem nunc Ecclesia in Missa observat, nihil est, quod ab Apostolica doctrina alienum, aut quod ab antiqua traditione originem non ducat, aut quod ad pietatem et religiosum Dei cultum non pertineat. Hæc conclusio expressis verbis solum definitur a Concilio Tridentino, quoad canonem Missæ; est autem certissima, etiam quoad ea, quæ antecedunt, et subsequuntur. Potest autem tripliciter probari : primo, ratione generali desumpta ex dictis in præcedenti conclusione, quia in toto hoc ritu, prout nunc fit, nihil reperitur, quod non pertineat ad aliquam ex illis quatuor partibus orationis, quas Paulus in prædicto loco ponit, nisi fortasse sacra lectio epistolarum ac Evangeliorum, quæ et ad orationem reduci potest, quatenus per eam mens ad divina elevatur, et quamvis sit diversa, ad pietatem pertinet et ad populi instructionem de divinis rebus; et antiquissima est, ut colligi potest ex Paulo, 1 ad Cor. 14, dicente : *Cum convenitis, unusquisque vestrum Psalmum habet, et doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet.* Et Just. Martyr, quasi exponens hæc verba, dicta Apol. 2, inquit : *Die solis urbanorum ac rusticorum cœtus fiunt, ubi Apostolorum, Prophetarumque litteræ, quoad fieri potest, prælegunturi; deinde cessante lectore, et præpositus verba facit adhortatoria.*

5. Secundo probari potest hæc veritas, discurrendo breviter per singulas partes hujus ritus; quod ut distinctius faciamus, distinguamus prius duplicem Missam, seu duplicem hujus ritus partem. Prior dicitur Missa catechumenorum, quæ durat a principio Missæ usque ad Evangelium, vel symbolum inclusive, quia ad eam catechumeni admittebantur, et in fine illius dimittebantur; reliqua vero pars, a prima oblatione usque ad finem Missæ, dici potest Missa fidelium, quia tantum hi, qui fidem per baptismum professi fuerant, illi assistere permittebantur, ut ex August., Cyril., et aliis Patribus supra notavimus, disp. 74, sect. 3, et alia statim afferemus

6. *Quoddam advertendum.* — Circa Missam ergo catechumenorum est advertendum, in illius initio præmitti confessionem peccatorum, et breves quasdam orationes, quæ ad majorem sacerdotis, et populi præparationem pertinent; quod et per se pertinet ad reverentiam Deo debitam, et est consentaneum consilio Sapientis, Proverb. 18 : *Justus in principio accusator est sui,* et conferre potest ad accedendum ad altare cum majori conscientiæ puritate. Incipit ergo sacerdos ab illo versiculo Psal.: *Introibo ad altare Dei,* ut significat Greg. Nazianz., orat. 28, sub fin., et Ambros., lib. 4 de Sacram., c. 2; finito autem toto illo Ps. 42, confessionem generalem dicit; cujus auctorem fuisse Damasum Papam, refert Platina in vita ejus; alii vero Pontiano P. id adscribunt, ut Berno, lib. de Officio Missæ, cap. 25; tamen fere in sensu similis confessio reperitur in principio Missæ Jacobi. Unde totam hanc partem esse antiquissimam constat ex Micrologo, lib. de Eccles. Observat., c. 23, et Rodulpho, lib. de Canonicis observantiis, proposit. 23. Secundo sequitur introitus, ita appellatus, vel quia in eo Missa inchoatur, vel certe, quia, dum a choro cantatur, sacerdos ad altare ingreditur. Est autem sciendum, Apostolorum tempore solitum fuisse, eo tempore, quo fideles ad mysteria peragenda conveniebant, plures Psalmos cantari in laudem Dei, ut ex Liturgiis antiquis constat, ex Dionys., cap. 3 de Eccles. Hierarch., ubi ait, Psalmos comprehendere, per modum laudis, quidquid in sacra Scriptura continetur. Postea vero loco illorum positus est introitus; quo etiam dicitur significari adventus Christi in hunc mundum, seu antiqua desideria veterum Patrum de adventu ejus, ut notat Maximus Monach. in exposit. Liturg., Rupert., Innocent., et fere alii, qui de officiis Ecclesiasticis scribunt, ac denique Raban., lib. 1 de Institut. Clericor., cap. 30 : *Bene* (inquit) *in ingressu sacerdotis concrepantibus choris auditur modulatio divinæ laudis, ut dominicæ celebrationis mysteria, ministrorum præcedat consonantia, et corporis et sanguinis Christi venerabile sacramentum, antecedat dignæ laudis sacrificium.* Quando vero inceperit hæc consuetudo, non satis constat; quidam existimant incepisse a temporibus Cœlestini Papæ; nam, ut Alcuinus, et alii scriptores de rebus Ecclesiasticis referunt, Cœlestinus instituit Psalterium in Missæ initio recitari seu cantari; quod ita exponit Amalar., lib. 3 de Eccles. officiis, c. 5, instituisse videlicet, ut antiphonæ ex omnibus Psal. sumerentur, quæ in Missæ initio dicerentur. Tamen, quod hoc fuerit in usu, etiam ante Cœlestinum, colligi potest ex Cassian., lib. 3 Instit., cap. 11. Cœlestinus ergo fortasse antiquum usum ad novam formam redegit; quando vero cœperit hic usus, prout nunc in Ecclesia servatur, non satis constat, quod non elevat, sed confirmat potius auctoritatem ejus; nam signum est, rem esse antiquissimam.

7. Tertio *Kyrie,* et *Christe eleyson,* novies repetit sacerdos, quem usum esse antiquissimum constat ex Liturgia S. Jacobi, et ex Vasensi Concil. sub Leone I, can. 3, ubi præcipitur ad Matutinum, et ad Missas, et Vesperam, *Kyrie eleyson* dici, *quia in sede Apostolica et per totas orientales, atque Italiæ provincias, et dulcis, et nimium salubris consuetudo intromissa est, ut Kyrie eleyson frequentius cum grandi affectu et compunctione dicatur;* et eamdem consuetudinem indicat Augustin., epist. 178, circa finem, ubi et vocem interpretatur, scilicet, *Domine miserere,* et rationem reddit, cur Græca voce, ubique proferatur. Clarius Greg., ubi tam in Græca quam in Latina Ecclesia ait esse hunc morem dicendi in Missa *Kyrie eleyson,* tamen diverso modo, quia inter Græcos simul sacerdos, et populus hæc dicunt; inter Latinos vero prius sacerdos incipit, et populus respondet; item Græci non addunt *Christe eleyson,* sicut Latini, qui in Missis etiam quotidianis *Kyrie eleyson,* et *Christe eleyson* dicunt, ut in his deprecationis vocibus paulo diutius occupentur. Denique D. Thom. hic reddens rationem hujus ritus ait, recte post laudem divinam, quæ fit in introitu, sequi commemorationem et recordationem propriæ miseriæ, et divinæ potentiæ et gratiæ; hoc autem fit toties repetitis illis vocibus ad confessionem Trinitatis, contra triplicem miseriam, ignorantiæ, culpæ, et pœnæ; vel contra novem genera peccatorum, ut latius Innocent., lib. 2 de hoc mysterio, c. 19, de quo plura apud Durand., in Rationali, lib. 4, c. 12, et alios scriptores de Ecclesiasticis officiis, et Turrecrem., in c. Jacobus, de Consecr., d. 1.

8. Quarto additur hymnus *Gloria in excelsis,* quem Angeli inchoarunt, et Ecclesia consummavit; totusque est plenus divinis laudibus, gratiarum actione et deprecatione; cœpit autem hæc consuetudo a Telesphoro Papa, ut Damasus refert in Pontif., c. 9, et colligitur ex epist. 1 Telesphor., quamvis ibi solum dicatur, ut in Missis noctis Nativitatis hymnus Angelicus decantetur; et inferius additur : *Ab Episcopis autem idem Angelicus hymnus pro tempore et loco in Missarum solemniis celebrandus est, atque solemniter recitandus;* ubi (ut existimo) specialiter nominat Episcopum, quia ad illum maxime spectat, Missas celebrare, non quia ab eo solum dicendus

esset ille hymnus, sed etiam a quolibet sacerdote. Rursus ibi solum fecit mentionem Angelici hymni, qui continetur illis solis verbis, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis;* reliqua vero non constat esse addita a Telesphoro, sed vel ab Hilario, ut censet Alcuinus, de Divin. officiis, c. de Celebrat. Missæ, et Hugo Victor., lib. 2 de Sacrament., vel a Symmacho Papa, ut sentit Berno, de Officio Missæ, c. 25. Innocent. vero III, lib. 2 de Myst. Miss., c. 20, potius existimat, totum hymnum fuisse a Telesph. completum, dicens, Symmachum præcepisse, ut die Dominico, et in Natalitiis Martyrum, in Missis decantaretur. Si tamen fides adhibenda est (ut revera est) iis, quæ scribit Clemens, lib. 7 Constit., cap. 57 et 58, potius dicendum est, illum ab Apostolis fuisse compositum; nam totus fere ibi recitatur, quanquam in Concil. Tolet. III, c. 12, in communi dicatur, Ecclesiasticos Doctores illum composuisse. Utcumque vero sit, constat, eum morem, et antiquissimum et sanctissimum esse; cur autem in Missis pro defunctis, et in diebus luctus, et jejuniorum, et in communibus feriis hymnus hic non dicatur, attigit hic D. Thom., et in 4, dist. 23, quia, scilicet, in hoc hymno commemoratur cœlestis gloria, quæ merito reticetur, quando lugetur propria miseria. Quæ ratio satisfacit, quoad priorem partem, et sumitur ex c. Hi duo, de Consecr., d. 1. In capite autem sequente, fit exceptio feriæ in cœna Domini, in qua hymnus Angelicus canitur propter sacrificii institutionem eo die factam; quoad posteriorem vero sumi potest ex c. Consilium, de Celebrat. Missarum, scilicet, ut inter communes dies et solemnitates differentia ostendatur. Propter quam rationem ibidem dicitur, hunc hymnum non esse dicendum in Missis votivis, etiam Beatæ Virginis, quod tamen hodie non est in usu juxta Missale Romanum; nam in Missis votivis Beatæ Mariæ, et Angelorum dicitur, non vero in aliis, nisi ex aliqua gravi causa.

9. Quinto post hymnum Angelicum, salutat sacerdos populum, dicens *Dominus vobiscum*, cujus salutationis exempla habemus in lege veteri, Ruth. 1, et 2 Paral. 15. Potest vero dici quodammodo propria legis gratiæ, in qua post susceptam carnem peculiari modo Deus hominibus dominatur; antea enim dæmon quodammodo dominatum obtinebat, quod ex Dionysio notavit Anastas. Sinaita, lib. 7 Hexameron, adducens illud Psal. 8 : *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* et illud Psal. 117 : *Benedictus, qui venit in nomine Domini;* et illud Joan. 20 : *Dominus meus et Deus meus;* et illud Lucæ 1 : *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* et alia multa similia; juxta quam considerationem dicere possumus, salutationem hanc etiam fuisse ab Angelo inchoatam, cum Virgini dixit, *Dominus tecum.* Est autem hæc salutatio antiquissima, ut constat ex Dionys., c. 3 de Ecclesiast. Hierar., ubi, *dignissimam* illam appellat, *sanctam, mysticam, et supramundanam.* Ad quam eleganter allusit August., 15 de Civit., cap. 12, dicens : *Non omnes cum illo sunt eo modo, quo ei dictum est : Ego semper tecum* (Psal. 72), *neque ipse cum omnibus eo modo, quo diximus : Dominus vobiscum;* quam esse ab Apostolis institutam dicit Concil. Brach. II, cap. 21, ubi hæc salutatio sic legitur, *Dominus sit vobiscum;* tamen in c. Hoc quo, de Cons., d. 1, Sother vel Anacletus Papa, illam proponit, prout est in usu Ecclesiæ; ibique Glossa advertit, Episcopos, prima Missæ salutatione, loco hujus solere dicere : *Pax vobis,* quia hæc fuit prima vox Christi ad Episcopos post resurrectionem; quod etiam esse in Ecclesia antiquissimum, constat ex Liturgiis Jacobi et Basilii, et ex Cyrillo, lib. 12 in Joan., c. 14; et ex Ambros., lib. de Dignitat. sacerd., cap. 5; et Chrysost., hom. 33 in Matth., et hom. 3 ad Coloss., de quo illud memoriæ proditum est, etiam post mortem, cum corpus ejus a Proclo Patriarcha in throno esset collocatum, salutasse populum, dicendo, *Pax vobis* (Niceph., lib. 14 Hist., c. 43). Ad prædictam autem sacerdotis salutationem, minister seu populus respondet : *Et cum spiritu tuo;* qui usus etiam est antiquissimus, ut patet ex eisdem Liturgiis et Patribus, et ex Chrysost., hom. 36 in 1 ad Cor., et 18 in 2 ad Cor. : *Bene precatur* (inquit) *sacerdos populo; et bene precatur populus sacerdoti; nam, Cum spiritu tuo, nihil aliud est, quam hoc;* et ex Isidor. Pelusiota, epist. 122, et Petro Damiano, epist. 12, quæ alias inscribitur liber *Dominus vobiscum,* c. 4 et 13.

10. *Sexto.*—Sexto subjungit publicam orationem, quæ collecta vocari solet, de qua appellatione multa congerit Durand., lib. 2 de Ritib. Ecclesiast., c. 16; probabilis est illa deductio, quod *collecta* dicatur, quia nomine totius populi in unum collecti fundatur, vel quod omnium petitiones compendiose colligat, ut ait Hug. Victor., lib. 2 de Officiis Eccles., c. 16, unde in c. Convenit, de Cons.,

dist. 5, ex Concil. Arelat., cap. 30, Collationes, seu Collectiones dicuntur; et apud Cass., lib. 2 Instit., c. 8, legimus : *Cum is, qui orationem collecturus est, surrexerit, alii surgant,* etc., et infra : *Qui precem colligit,* etc.; vel certe *collecta* vocatur, quod per eam omnium audientium animi ad Deum colligantur; unde sacerdos præmittit *Oremus,* de quo August., epist. 107 ad Vitalem : *Ubi audieritis sacerdotem Dei ad ejus altare populum hortantem ad orandum, non respondebitis, Amen;* et Chrysost., homil. 16 in 2 ad Cor. : *Quin precibus viderit quis populum multum simul offerre; communes enim preces a sacerdote et ab illis fiunt; et omnes unam dicunt orationem.* In nonnullis vero collectis, et quibusdam specialibus diebus luctuosis, et ad pœnitentiam deputatis, post *Oremus,* ante orationem dici solet *Flectamus genua,* et statim *Levate,* quam consuetudinem esse valde antiquam constat ex Basilio, lib. de Spiritu Sancto, cap. 26, dicente : *Quoties genu flectimus, et rursus erigimus, re ipsa ostendimus, quod propter peccatum in terram delapsi sumus, et per benignitatem ejus, qui condidit nos ad cœlum, revocati sumus.* Denique sequitur oratio, quæ esse solet, vel una tantum, vel tres, vel quinque, vel ad summum septem. Una quidem necessaria est; et sola interdum dicitur propter solemnitatem; tres vero, quinque aut septem, propter varias petitiones, aut commemorationes faciendas; ultra eum vero numerum non solent multiplicari, ut aliquid sit fixum et certum; nec licet unicuique in infinitum progredi; nam, ut dici solet, *numero Deus impare gaudet;* et Hieronymus, lib. 1 contra Jovinianum, numerum imparem mundum esse dicit. Et ternarius orationum Trinitati convenit, vel trinæ orationi Christi in horto. Quinque vero orationes dicuntur interdum, propter quinque partitam Domini passionem, ut ait Innocent., lib. 2 de hoc myst., c. 23. Septem autem dici possunt propter septiformem Spiritus Sancti gratiam, vel quia oratio Dominica septem petitionibus concluditur, ut ait Durand., in Ration., lib. 4, c. 15. Concluduntur autem hæ orationes illa adjuratione seu obsecratione : *Per Dominum nostrum,* et ut firma sit spes impetrandi, juxta illud Joan. 16 : *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis;* et quia Christus est unicus mediator, propter cujus meritum omnia nobis donantur; de qua re, et de hac Ecclesiæ consuetudine, plura dixi in 1 tom., agens de Christi merito, ad quæst. 19 D. Thom.; unde hac ratione in Concilio Carthag. III, cap. 13, præcipitur, ut, cum altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio, ut in Filio seu per Filium concludatur; cum autem ad Patrem oratio dirigitur, non excluduntur aliæ personæ, sed unitas Deitatis indicatur, ut notavit Fulgent., lib. 2 ad Monym. Interdum aliqua oratio aliter solet concludi pro sensus commoditate et verborum consecutione; semper tamen fit aliqua Christi commemoratio, et totius Trinitatis confessio, et divinæ gloriæ, ac vitæ perpetuæ commemoratio, in verbis illis : *Per omnia sæcula sæculorum.*

11. Quæ verba esse antiquissima, præter antiquas Liturgias, constat ex Irenæo, lib. 1 contra hæres., c. 1, ubi refert, Valentinianos voluisse deliramenta suorum errorum confirmare ex verbis, quibus nos in gratiarum actionibus utimur, dicentes : *In sæcula sæculorum.* Ex quo idem sumpsit Epiphan., hær. 31; significatur autem æternitas illo dicendi modo, quia omnia sæcula in se concludit, et excedit, et superat, tum perfectione, tum etiam duratione, ut sumi potest ex Augustino, in Psal. 71; Hieron. ad Galat. 7; Innocent., lib. 2 de hoc myster., c. 26. Finita autem oratione, populus respondet *Amen,* quæ vox Hebræa est, et interdum ad affirmandum adhibetur. Sic Christus sæpe dicit *Amen, amen, dico vobis,* id est, vere ita est, ut interpretatur Isidor., lib. 6 Etymolog., c. 18, ex Origene, tract. 35 in Matth., et Hieron., epist. 137 ad Marcellam; et hoc sensu legimus in Liturgiis antiquis, finitis verbis consecrationis, fideles solitos esse respondere *Amen,* quod non potest tunc esse verbum optandi, sed affirmandi et credendi, ita esse. Unde Ambros., lib. de Iis qui initiantur, c. 9 : *Post consecrationem, corpus et sanguis Christi nuncupatur, et dicis, Amen, hoc est, verum est.* Interdum vero adhibetur ad consentiendum orationi, idemque optandum seu petendum; et hoc sensu adhibetur in fine orationum, ita ut sensus sit, *fiat,* sicut interpretatur Jul. I, epist. pro Athanasio, c. 1; Justinus, Apol. 2; Hieronym. supra, et epist. 134 ad Sophron.; et Bernard., serm. 7 in cœna Domini. Et hoc modo Deut. 27, populus ad maledictiones respondet, *Amen;* et 1 Paral. 16 : *Benedictus Dominus Deus Israel, ab æterno, usque in æternum, et dicat omnis populus, Amen.* Sic etiam Paulus, 1 ad Cor. 14 : *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem?* ex quo loco con-